

petuam ei istud etiam adversus communes hostes faciendi voluit existere occasionem. In faciem enim saltim, aut coram amicis aliquem laudare, vulgare est; adversus inimicos autem atque hostes virtutes alicujus & egregia facta confiteri ac celebrare, istud demum sinceri & generosi est pectoris. Quantumlibet igitur nihil ad nos pertineant & quæ circa nos & quæ infra nos, ut ea quæramus, ut iis studeamus, ut ea sapiamus, ut ipsis juvemur: cum tamen illa nos nostramque salutem eousque affectentur, utique nos nostraque attinet cavere illa, repellere, & ut hoc eo felicius præstemus, ea noscere. Certe felicior tibi lucta erit, ubi aduersarii habitum, vires & artes noveris. Omnium vero maxime interest accerrimi nostri & astutissimi hostis fraudes atque technas perspectas habere, quibus nos nunquam cessat seducere, quo minus creatorem, redemptorem & reparatorem nostrum verbis factisque referamus & celebremus. Earumque dubio procul nocentissimæ sunt, quæ dum veritatis & sanctitatis specie fulgent, minus vitantur. Ita enim in *lucis Angelum se transformans* satanas coelum quasi ascendit. Ita *ἐν τοῖς ἐπισημοῦσι* in rebus regnum coelorum spectantibus, doctrina salutari, Divinis veritatibus speciosissimis & vita irreprehensibili insurgunt adversus nos *τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας*. Ita in ipso DEI agro zizania serit adversarius, triticum adeo mentientia, ut ante messis tempus dignosci omnia ac separari nequeant. Quæ considerantes perspicimus utique ad nos omnes pertinere nec unquam temnendum esse, quod ad penitus noicendum adversarium tam malignum impenditur, sacrum studium. Neque hanc quoque supervacuum idcirco quispiam arbitrabitur operam, locatam huic DE THEOLOGIA DAEMONUM materiae, quam prudenti consilio VENERANDA FACULTAS THEOLOGICA ad exercitationem, sueto more, pro impetranda in Theologicis docendi ac disputandi Licentia publice proponendam, petenti mihi suggestit. Si unquam, certe his postremis temporibus conducet diaboli in coelestibus facultatem & malignitatem pernoscere, quibus vel maxime, teste Apostolo, ex claro Spiritus Sancti oraculo

2. Cor. XI,

14. Eph.

VI, 12.

Matth.

XIII, 29. f.

I. Tim. IV,

I. 2.